DISSERTATIO JVRIS CRIMINALIS
DE
DENOMINATIONE COMPLICIS A DELINQVENTE ET DAMNATO AD MORTEM FACTA, FRAGILI INDICIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVAM
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE
CONSENTIENTE
PRAESIDE

D. JOH. FLORENTE RIVINO
PAND. P. P. ET FACVLT. JVRID.
ASSESSORE

PVBLICO ERVDITORVM CERTAMINI
SVBMITTIT

JOH. PAVLVS ROCKENTHIEN
LONGOSAL. THVRING.

D. I. MAII A. R. S. M DCC XXVII.

LIPSIAE
LITERIS IMMANVELIS TITII.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI DOMINO

D O M I N O

CHRISTIANO

DVCI SAXONIAE, JVLIACI
CLIVIAE ET MONTIVM, AN-
GARIAE ET WESTPHALIAE, LAND-
GRAFIO THVRINGIAE, MARCHIONI
MISNIAE ATQVE LVSATIAE, BVRG-
GRAFIO MAGDEBVRGI, COMITI
PRINCIPALI HENNEBERGAE, COMI-
TI MARCAE, RAVENSBERG ET
BARBY, DYNASTAE RAVEN-
STEINII
R E L I Q V A

DOMINO SVO LONGE GRA-
TIOSISSIMO

QVI

PATREM PATRIAE

PIVM, IVSTVM, AEQVVM

SE GERIT

ET

DELICIVM CIVIVM

SALVTATVR

QVEM

EVSEBIA ET ASTRAEA

OMNISQVE MVSARVM CHORVS

PROPITIVM ET LARGVM

VIDENT, GAVDENT, MIRANTVR

A QVO

OMNIVM FELICITAS ET SALVS

DEPENDET

CVI FAS EST

VT NOSTRA QVAEQVE DEBEANTVR

LEVIDENSE HOC MVNVSCVLVM

PRIMITIAS STVDIORVM

FOETVS ASTRAEAE

TANTO PRINCIPI

HVMILLIMA MENTE

FLEXO POPLITE

DAT, DICAT, CONSECRAT

ſervus devotiſſimus ſubjectiſſimus

JOHANNES PAVLVS ROCKENTHIEN.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Judex gladio caute utatur.*
§. II. *Speciatim iu quæſtionibus.*
§. III. *Cum quæ ſint legitima indicia adhuc in ambiguo.*
§. IV. *Socium nominari a delinquente, neminem gravat, quæ principalis quæſtio*
§. V. *XIX. rationibus adductis.*
§. VI. *Diſſentientibus JCtis & Collegis contradicitur.*
§. VII. VIII. IX. *Varii varia in denunciatione ſocii requirunt*
§. X. *Hi autem omnes falluntur.*
§. XI. *Iniqui, de ſe ſponte confeſſum, de ſociis torquendum ſtatuentes.*
§. XII. *Sunt qui morte obſignatam captent confeſſionem correi*
§. XIII. *Quorſum collimant JCti Altdorffini*
§. XIV. *Helmſtadienſes item*

§. XXV.

§. XV. *Inde biduo ante ſupplicium denuo interrogant damnatum.*

§. XVI. *Sed fallacia hæc; amant enim morientes commori.*

§. XVII. *Refragatur Ord. Crim. art. 20.*

§. XVIII. *Nequidem territioni verbali exinde locus*

§. XIX. XX. *Nec purgatorio*

§. XXI. *Art. 31. O. C. non patrocinatur diſſentientibus.*

§. XXII. *Agnoverunt quandoque Dicaſteria aliter cum hominibus agendum.*

§. XIII. *Si alia violenta concurrant indicia tunc aliter ſe res habet.*

§. XXIV. *Firmatur ſententia noſtra exemplo criminis Magiæ*

§. XXV. *Rapinæ & deprædationis,*

§. XXVI. *Detectæ fraudis in fure.*

§. XXVII. XXVIII. *Adulterii & ſtupri.*

§. XXIX. *Interrogatio tamen de ſociis niſi ſuggeſtiva non plane inutilis.*

§. XXX. *Ergo nominatio facta tantum ulteriori indagationi lucem judici præfert.*

Q. D. B. V.

§. I.

ANimadverſio in facinoroſos, & jus gladii, judici, qui vices DEI in his terris gerit, merito competit. Hinc congruit bono & gravi judici curare, ut pacata & quieta ſit provincia, quem in finem ſollicite malos homines conquirat, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertat. *L. 13. pr. ff. de off. præſid.* Quodſi enim delicta, præprimis lege divina notata, vel ex intempeſtiva miſericordia & formidine humanæ potentiæ, vel ob reſpectum & qualitatem perſonarum, vel ob incommodum ſumtuum, qui jurisdictioni criminali cohærent, impunita relinquat, æterno & immutabili judici ad reddendas rationes obſtrictus erit, qui ſanguinem inultam a manibus ipſius repoſcet. Judex enim, ſi quid adverſus legitima præcepta in judicando dolo malo omittit, ſive cu-

jus vel gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes, arguuntur, legem quin ipſam conſcientiam offendit. *L. 15. §. 1. L. 40. §. 1. π. de judic. L. 2. C. de pœna jud. qui mal. judic.* Unde quilibet, cui exercitium altæ jurisdictionis demandatum, adeat quotidie Juſtiſſimum Numen ardentiſſimis precibus, ut mentem actionesque ſuas eo dirigat, ne cœco impetu, fama fortaſſis incerta motus, illico in odium internecinum erga inculpatos rapiatur, omnia potius defenſionis media ſumma cura conquirat, & ſollicitus magis ſit de exculpando & conſervando reo, quam ut unquam inſontem pœnæ tradat, & poteſtate ſua abutatur. Ideo TRAJANVS Aſſiduo Severo, quod cuilibet aſſiduo & ſevero judici acclamandum, reſcripſit: Satius eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. *L. 5. pr. π. de pœn.* & SENECA *in libr. de clement.* ſuadet, alieno ſanguini tanquam ſuo parcendum, nec homine utendum prodige. Pariter SCIPIO & ANTONINVS dicere ſoliti: malle ſe unum civem ſervare, quam mille hoſtes occidere. Gloria igitur DEI & ſalus publica ſuprema lex eſto, hoc tamen cum moderamine, ut judex ſibi non perſuaſum habeat, utrumque quaſi in ipſius arbitrio repoſitum eſſe, nec credat, ſe grata Numini præſtare officia, cum affectibus ſuis depravatis indulget, prout de pontifice quodam relatum ferunt, quod pictori, qui hominem eo animo occiderat, ut crucifixum vividioribus ſiſteret coloribus, ſub prætextu gloriæ divinæ gratiam fecerit, mortisque pœnam remiſerit.

§. II.

§. II.

Non inquiram vero ſollicite, an funeſtum illud & violentum, ab ethnicis originarie inventum, & primum in ſolos ſervos uſitatum remedium, torturam puto, qua id ſæpiſſime agitur, ut non tam verum inveniatur, quam ut is, qui quæſtionibus ſubjicitur, falſi quid dicere, vel mendacia per cruciatus confirmare cogatur. *L. 1. §. 27. ff. de quæſt.* tanquam fragile, & periculoſum, & quod fidem fallat, e rebuspublicis chriſtianis plane proſcribendum ſit, id enim ad pia tantum deſideria pertinet, nec profecto creſcente in dies malitia hominum, ſecuritas publica id permittere videtur, alias enim liberi tenebrarum, tutiſſimum in mendaciis præſidium poſſent invenire. Illud ſaltem moneo, non conſiderandas eſſe quæſtiones ut remedium ordinarium, nec tam facile, uti pro dolor invaluit, provolandum ad irrogandam torturam, quaſi jus in membra civium, imo vitæ & necis in arbitrio judicis & judicantium ſimpliciter collocatum. Sane ad corruptelam jurisprudentiæ criminalis pertinet, quod etiam hac in parte incerto jure utamur. Solet enim ſæpiſſime evenire, ut prout motus judicis ſententiam dicentis fuerit, criminis inculpatus ad extremum gradum torturæ ſuſtinendum condemnetur, in alio collegio gradus mitigentur, denique miſericordia fratrum omnis hoſtilitas in purgatorium ſive torturam ſpiritualem commutetur, ſic mirifice de reorum ſalute, imo quandoque vita luditur, qui longe infeliciores ſunt illis, quibus per variantes collegiorum ſententias, crumena ſaltem emungitur, membra vero intacta relinquuntur.

 §. III.

§. III.

Juſtum eſt, ut is, qui delictum a ſe commiſſum fatetur, aut alias convictus pœnæ promeritæ legibusque præſcriptæ ſubjiciatur, aut ſi adverſus ipſum legitima & violenta indicia perpetrati criminis extent, isque in negativa perſiſtat, medium eruendæ veritatis per tormenta adhibeatur. Sed hic iterum judex mari dubiorum immerſum ſe ſentiet; quænam ſint illa indicia, quæ ad torturam ſufficiant, fluctuant enim Dd. & integri tractatus de indiciis CHRIST. CRVSII, aliorumque proſtant, tota vero doctrina dubia & incerta per circulum ad prudentis judicis & boni viri conſilia liberaque arbitria reducitur, cum juxta *L. 3. §. 2. ff. de teſtib.* argumenta, ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poſſint, quod in re tam ardua merito fieri non debebat, ſed certis regulis & limitibus includenda licentia judicis, cum in proceſſu civili modus procedendi non ipſius arbitrio relictus, ſed legibus publicis certa forma tramitesque ad amuſſim obſervandi conſtituti. Summa igitur prudentia, circumſpectio, quin & religio in judice requiritur, quo omnes circumſtantias accurate & ſollicite perſcrutetur, & juxta monitum COELESTINI III. *in cap. 27. X. de teſtib.* motum animi ſui ex argumentis & teſtimoniis, quæ rei aptiora eſſe compererit, confirmabit.

§. IV.

Sed propius ad metam. Scilicet quæritur, an ſola

la inculpatio & aſſertio delinquentis, hunc vel illum ſocium criminis eſſe, indicium legitimum præbeat, eumque effectum adverſus inculpatum producat, ut in vincula conjici, ſpecialis inquiſitio adverſus ipſum formari, negans ſe eſſe ſocium, poena aliqua affici, tormentis ſubjici, aut tamen purgatorio onerari queat? Quam quidem quæſtionem quoad ſingula membra indiſtincte negandam eſſe exiſtimamus, intrepidi aſſerentes, quod ſola inculpatio, quocunque modo ſive ſpontanee facta, ſive tormentis extorta, ſive mediante juramento corporali, ſive ſumta euchariſtia ſacra corroborata, ſive a damnato ad mortem ſanguine quaſi obſignata, nullum legitimum indicium ad inquiſitionem ſpecialem, nedum ad incarcerationem præbeat, multominus ad torturam, nec purgatorium deveniri poſſe. Pœnam vero, præſertim capitalem irrogare, crudele plane ac deteſtandum foret, conſ. HIERON. NICOLIN. *Prax. Crim. poſt n. 469.* Prodiit anno 1697. vernacula lingua conſcripta manuductio quædam ad caute inſtituendum proceſſum inquiſitorium, quam Potentiſſimus Boruſſiæ Rex ſpeciali Edicto d. 7. Novembr. 1706. in ditionibus Pomeraniæ pro norma obſervari juſſit, & legis quaſi autoritate donavit, vi cujus edicti expreſſe prohibitum, ne nudæ nominationes ſociorum pro indicio ſufficienti & gravante haberi debeant.

§. V.

Movent nos ſequentes rationes: 1) quod quilibet bonus & honeſtus præſumatur, ita, ut facta, quæ lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam, & generali-

neraliter contra bonos mores ſunt, neminem facere poſſe credendum ſit, *L. 15. ff. de Condit. Inſt.* Contrarium igitur 2) facti, quod merito probandum, 3) & vel ex confeſſione ipſius delinquentis conſtare, vel hic per apertiſſimas probationes convictus, aut tamen legitimis & violentis indiciis gravatus eſſe debeat, quænam vero 4) legitima indicia ſint, explicat Imperator CAROLVS *in Ord. Crim. art. 19. Wo wir redliche Anzeigungen melden, da wollen wir allewege redliche Wahrzeichen, Argwohn, Verdacht, und Vermuthung gemeinet, und damit die übrigen Wörter abſchneiden.* 5) In cauſis civilibus perſonæ infames a dicendo teſtimonio excluduntur, nec ullam fidem faciunt. Nec 6) alterius confeſſio alteri præjudicat *L. 28. ff. ad Sct. Vellej.* nec minus hæredis, aliis cohæredibus. Quomodo quæſo 7) in cauſis criminalibus & ſanguinis, delinquens, qui ex confeſſione proprii criminis infamis, vilis inſuper & ſuſpectæ fidei, poſſet admitti. 8) Socius criminis pro ſocio teſtis non admittitur, ut aliquid probet ergo in contrarium depoſitione ſua ipſum onerare, aut præjudicium inferre non poterit. CARD. TVSCH *Pract. Concl. 684. lit. C.* PETR. BARVS *Torcul. Jur. reſol. 62. n. 8.* proinde 9) Imperator HONORIVS & THEODOSIVS, Socios & participes criminis a dicendo teſtimonio, cum in criminalibus teſtes integerrimæ exiſtimationis requirantur, arcendos eſſe exiſtimarunt, *in L. 11. C. de teſtib.* & 10) VLPIANO teſte, confeſſiones ipſas reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportet, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat, *L. 1. §. 17.*

ff. de

ff. de quæſt. 11) de ſe confeſſi ſuper aliis conſcientiis non interrogandi *L. 19. C. Th. de accuſat. c. 1. X. de confeſſ. & can. 15. q. 3. cap. nemini j. L. f C. de accuſat.* ergo nulli de ſe confeſſo ſuper aliorum crimine creditur, quapropter 12) judex contra octavum decalogi præceptum peccare videtur, quod prohibet, nequis det cauſam infamiæ proximi, potius quilibet Chriſtianus tenetur pericula & mortem proximi, quantum poteſt, præcavere, & vitare, & fortiſſimum juris naturæ præceptum eſt, de conſervanda alterius vita & fama, conf. PETR. BINSFELD. *de confeſſ. Maleficor. p. m. 220. ſq.* imo 13) religio & conſcientia judicis non permittit, ut ulterius progrediatur in inquirendis & puniendis delictis, quam quatenus divina vindicta viam ei monſtrat, quando igitur vires humanæ civilisque prudentia tacent, ſileat officium magiſtratus, probe 14) perpendentis quod ſit ſaltim executor divinæ voluntatis & vindictæ, & quod ea, quæ divina nemeſis, cujus omniſciis oculis omnia patent, manifeſtari vult, nemo mortalium occultare valeat, obmuteſcente omni ſapientia humana, quemadmodum noviſſimo exemplo latronis, quod Lipſiæ nuper accidit, edocti, de quo immortali Numini ſempiterna laus ſit & gloria, quod ſanguinem à terris noſtris, internecione ſceleratiſſimi iſtius hominis redemerit. Nec deficiunt exempla ſceleratiſſimorum, qui iteratis vicibus omnes gradus torturæ perpeſſi, judicia reddiderunt eluſoria, donec tandem divina vindicta correpti, dicerent, horam divinæ ultionis appropinquaſſe, quod exemplo famoſiſſimi illius Lips Tullian comprobamus. Accedit

15) fa-

15) favor innocentiæ, qui tantus, ut ſatius ſit, centum nocentes dimittere, quam unum innocentem ſupplicio dare, hinc ſapientiæ Architæ Tarentini adſcribitur, quod maluerit impunitum dimittere, quam propter vim gravius juſto punire, quin 16) Reipublicæ magis prodeſſe videtur, ſi talis inculpatio per ſe omni effectu deſtituatur, ſiquidem nominatus aut eſt nocens & improbus, tunc fortaſſe negliget tormenta, aut declinabit omnem ſuſpicionem mediante juramento purgatorio, animam inſimul ad orcum transmittendo, aut innoxius & inculpatæ vitæ exiſtit, quo caſu, præſertim ſi carnifici committatur, macula irrogatur, non dicam, infamis redditur, ut invitus quaſi ad aliud vitæ genus, non adeo honeſtum accingatur, adeoque civitas & provincia malis hominibus non liberetur, ſed potius augeatur, ut taceamus 17.) iſtiusmodi ſceleratos in eo, ſocios habuiſſe malorum, ſolatium quærere, vel veniam propter flagitia adjuncti ſperare, vel pro communione criminis, conſortium perſonæ ſuperioris optare, aut inimici ſupplicio, in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſatiari, aut eripi poſſe, ſæpius confidere, *L. 19. C. Th. de accuſat. L. 17. C. de accuſat.* ac deſperatos facile poſſe ad accuſationem ſine cauſa confugere *L. 18. §. 3. ff. de jure fiſci*, ac in univerſum 18) ratio ex PAVLO *L. I. ſent. Tit. XII. §. ult.* petenda erit: ne is, qui de ſua ſalute deſperat, alienam ſalutem in diſcrimen abducat, conf. JAC. LECTIVS *Tract. de Pœnis ad L. 16. ff. de quæſtion.* 19) qui ſemel malus ſemper præſumitur talis *c. 8. d. R. J. 6to c. IX. X. de præſumt.* & quærit JVSTI-

NIA-

NIANVS *in præf. Nov.* 72. quid homo ſemel ad malitiam deditus non adinveniat. Specialiores & uberiores rationes, infra circa caſus ſingulos exponam.

§. VI.

Sed nonne, manes JCtorum veterum inquietabuntur? quid collegia moderna de nobis ſtatuent, jus in membra civium, quinimo vitæ & necis ipſum, laxiori licentia, ſibi arrogantia? annon criminis hæreſeos nos inſimulabunt, quod communem illam opinionem, (rectius dixeris errorem) a piis majoribus in noſtra tempora transmiſſam, impugnandam ſumſerimus? ſed videant, quomodo rationes reddant æterno Numini, ſeque defendant contra injuſte tortos, & ad mortem damnatos, quorum infinitam ſeriem hiſtoriarum monumenta nobis perhibent. Annon vel unicum exemplum terrorem nobis incutere, nosque cautiores & prudentiores reddere debebat? nonne igitur ſatius foret, tutiſſima incedere via, quam ſub colore recti & juſti mala facere? annon majorem gratiam meretur judex, qui in omittendo deficientibus probationibus peccat, quam is, qui innoxium occidendo, homicidii reum ſe facit? Quemadmodum vero motus animi & cogitationes, quæ ſe invicem damnant & excuſant, variant, ita quoque diverſæ opiniones Doctorum de effectu nominationis inveniuntur, ita ut diſſidentes ſicut Anglos in Thorres & Wighs in rigoroſos & moderatos diſpeſcere poſſes. Triſtis hinc eſt ſequela arbitrii iſtius judicis, penes quem ſæpius deficiens judicium, abundans præſumtio

ſapientiæ, & nimis radicatum præjudicium autoritatis, ſaniora impedit conſilia. Adeo in tenebris oberramus, niſi divina lux intellectum noſtrum & voluntatem illuminet.

§. VII.

Primum limites juſtitiæ transgrediuntur, qui inculpationem & confeſſionem unius, contra ſocium ſufficientem eſſe ad torturam, absque aliis indiciis & adminiculis tenent, quod vitium eſt antiquorum Jureconſultorum, e quibus CYNVM *in L. f. C. de accuſ.* ANT. de BVTRIO *in cap. 1. X. de confeſſ.* IMMOL. & PANORMIT. *in d. cap. 1.* DYNVM. *in tr. de quæſtion.* allegaſſe ſufficiat: Alii in criminibus quibusdam atrocioribus, & exceptis e. c. læſæ majeſtatis, id ſaltem admittunt, quam communem ſententiam dicit JVL. CLARVS *L. 5. ſent. §. fin. qu. 21.* & qui iniquitatem hujus ſententiæ detegunt, nominationem iſtam grave ſaltem indicium gignere putant, adducto gravi hoc ex illorum opinione argumento, quod maleficiorum nunciationibus non ſolum frequenter, ſed aut fere ſemper, aut ſæpius contingat adeſſe veritatem, BINSFELD. *de confeſſ. malefic. p. 241.* quod petitionem principii ſapit, potius inverti poterit aſſertum, quod nempe maleficorum denunciationibus, nunquam,certe rariſſime, veritas ineſſe ſoleat.

§. VIII.

Quodſi duo vel tres delictum aliquod confeſſi tertium nominant, hunc, ſive integræ, ſive malæ famæ

mæ ſit, ceſſantibus licet omnibus aliis indiciis, ſtatim ad locum torturæ deducunt, MAR. GIVRBA *Conſil. crim. L. n. 42.* JOH. PAPONY. *L. XXII. arreſt. 13. n. 2. ſq.* CLARVS *L. V. ſent. §. ult. qu. 21. verſ. ſed pœna.* MARC. ANTON. SABELLI *Summ. diverſ. tractat. Tom. IV. §. ſocietas n. 52.* & alii: imo confeſſionem trium ſociorum ad plenam probationem & pœnam ordinariam dictandam ſufficere autumant. VINC. de FRANCHIS *Deciſ. 570.* & SABELLI *d. l.* cum centum aliis allegatis Doctoribus. Recenſet REINH. BACHOV. *in obſer. ad* PAPONY *arreſt. L. XXIV. T. 8. arr. 5.* exemplum, quod ob furtum in domo cujuſdam nomine Mallereti commiſſum, tres e ſociis quæſtionibus ſubjecti, autorem Johannem Menalerium nominaverint, qui captus ac torturæ ſubmiſſus, eandem ſuſtinuerit, abſolutusque fuerit. Sane CALLISTRATVS *in L. 3. ff. de teſtib.* fidem teſtium diligenter examinandam, ideoque in perſona eorum explorandam eſſe conditionem, an honeſtæ ac bene actæ vitæ, an vero notatus quis & reprehenſibilis, an inimicus, qui omnes ſi in civilibus a dicendo teſtimonio arcentur, potiori jure in cauſis criminalibus & ſanguinis repellendi erunt, confer. CARPZ. *Prax. Crim. qu. 121.*

§. IX.

Alii etiam unius ſcelerati inculpationem, pro indicio ſat gravanti ad torturam admittunt, dummodo ſub tormentis confeſſio dicta fuerit, inquiunt enim:

is, qui proprium crimen confeſſus, ipſo facto vilis & infamis redditus, proinde defectum iſtum reſpectu ſociorum purgare iterum debet per torturam. ZANGER. *de Tortur. c. 2. n. 61.* COVARRUV. *L. 11. var. reſol. cap. 13.* & MORELLI *manud. ad pr. Crim. cap. 1. §. 4. n. 39. & 51.* exiſtimat, eum qui ſponte & absque tortura delictum confitetur, finita depoſitione, quæſtionibus nihilominus ſubmittendum, partim ad tollendam maculam, partim ad magis gravandum inculpatum, hinc ROL. à VALLE *Vol. 1. conſ. 71. n. 79. & conſ. 73. n. 22.* non nocivam vult nominationem, ſi non ſub tortura facta, & MORELL. *d. pr. c. 9. n. 5.* commemorat Curiam Archiepiſc. Neap. torquere laicos ſocios criminis ad validandam eorum depoſitionem contra Clericos, conf. ANTON. SCHVLTINGII *ad L. 1. §. ult. d. quæſtion.* §. *IV.* Cautius incedere nititur CARPZOV. *Pr. Crim. q. 121. n. 31.* qui compellationem ſub tormentis factam tunc demum pro legali indicio agnoſcit, ſi interrogatio judicis præceſſerit, provocans ad verba *art. 31. Ord. Crim. daß dem Sager die beklagte Perſon in der Marter mit Nahmen nicht vorgehalten, ſondern daß er ingemein gefraget, wer ihm zu ſeiner Miſſethat geholffen, den beſagten von ihm ſelbſt bedacht und benennet habe.* Proinde pergit, ſi judex quærat ex reo de Titio vel Sempronio, licet eum ceu ſocium criminis nominet, exinde tamen indicium non oritur adverſus eum, ex quo torturæ obnoxius fiat. Idem tamen ſimpliciter aſſerit *d. qu. n. 28.* interrogationem & nominationem ſociorum in actu torturæ fieri debere,

nam

nam extra torturam nominanti nullam fidem habendam eſſe. Alii non præciſe requirunt, ut actualiter tormentis admoveatur, ſed metum tormentorum, & deductionem ad locum terribilem, præcedentesque minas ſufficientes eſſe ſibi imaginantur, vid. BINSFELD. *de confeſſ. maleſ. p. 244.* confrontationem neceſſariam exiſtimat MORELL. *c. 1. §. 6. n. 104.* qui *n. 111.* modum confrontandi ſuppeditat. Juramentum inſuper inquiſiti nonnulli exigunt, ſive præſtetur ante torturam, ſive præſente eo, contra quem deponunt, prout in actu confrontationis habetur, & MARSIL. *in Prax. Crim. §. diligenter §. 63.* gloriatur, ſe ob hujus neglectum Bononiæ aliquando furem quendam, cui nomen Ludovici de Pariſiis, furca liberaſſe. conf. MATH. BERLICH. *P. IV. concl. 4. n. 117.*

§. X.

Sed eos jamdudum craſſi erroris inſimulavit TABOR. *de indic. ad art. 31. Ord. Crim.* qui dictum art. 31. imperative ac diſpoſitive ac ſi neceſſario tormenta adhibenda eſſent, intellexerunt, cum verba ibi tantum relative & negative concepta, conf. TOB. GRANZ *defenſ. inquiſ.* cap. IV. M. II. Sect. I. n. 146. ſeq. Applicari poſſe videntur verba Edicti Prætoris *in L. 1. ff. qu. met. cauſ.* ratum non habebo, quod metus cauſa geſtum dictumve erit, & quænam vis afferti, quod propter neceſſitatem tormentorum, inſtantis vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatione profertur? Ulterius non apparet, quomodo tortura abſtergat in-

ſamiam contractam, quicquid enim illud ſit, ex quo cuiquam infamia adhæreat, id utique non annihilatur per torturam, adeoque nec infamia, e. g. Cajus infamis propter furtum confeſſum, an, cum torquetur, deſinit eſſe fur? neutiquam, ſic nec deſinet amplius infamis eſſe, manente namque cauſa, manet effectus. Quis igitur ea, quæ inter horrendas & ferales anguſtias confeſſus eſt, tanquam Delphis oracula celebrare vellet? Et quæſo quæ fides tribuenda juramento ſcelerati, qui ob proprium delictum ſub juramenti religione non interrogatur, nec ob metum perjurii interrogari poteſt, itaque nec ejus confeſſio requirenda eſt, contra complices ſeu criminis ſocios ſub fide juramenti, reus iſte ob perpetratum delictum infamis, at infamis non poteſt admitti ad jusjurandum *per L. 3. §. 5. ff. de teſtib.* ſi enim ſimpliciter nequit teſtimonium adverſus quendam perhibere, quanto minus id licebit ipſi, ſi jurare velit, ſeque offerat, cum ipſius fides plane nulla & jure reprobata ſit. Adeoque eundem effectum producit, ſive ſpontaneo motu, ſive in loco torturæ facta nominatio ſocii. Nam neutra indicium legitimum præbet, nec officium judicis auget, nec minuit, ſed hic utroque caſu eandem ſollicitudinem in conquirendis ulterioribus indiciis adhibere tenetur. Imo in art. 31. Ord. Crim. expreſſe mentio injicitur nominationis in carcere factæ. verb. *So iemand in der Gefängniß beſaget.* Denique ſi confrontatio cum nominato abſolute neceſſaria, poſſet inquiſitus per fraudem nominare perſonam, quæ vel rerum natura non exiſteret, aut tamen igno-

ta,

ta, aut fugitiva, ut ſaltem beneficio temporis frueretur.

§. XI.

Quo loco præterire non poſſumus ſilentio iniquitatem eorum, qui exiſtimant, inquiſitum, cui ut delictum publicaret, gratia promiſſa, nihilominus eſſe torquendum, ut locum faciat indicio contra ſocios, cum proprie non ſit aggratiatus neque reſtitutus, ſed ſaltim diſpenſatus, nec adhiberi torturam ad pœnam infligendam, ſed ad veritatem eruendam. VINC. de FRANCHIS *deciſ. 459.* MARC. ANT. SABELLI *ſumma diverſ. tract. Tom. 10. §. ſocietas n. 49.* Atqui tortura ſemper eruendæ veritatis medium habetur, ſed negantem delinquentem ſupponit. Sponte confitentem quæſtionibus ſubjicere iniquum, imo crudele, & parum profecto commodi redundaret in eum, qui delictum ingenue profeſſus, ſi metuenda adhuc tortura. Nemo facile adeo foret ſtolidus, qui ſe delictum commiſiſſe fateretur, potius negaret delictum, & ſuſtineret tormenta ad declinandam vim indiciorum contra ſe pugnantium, quibus peractis abſolveretur, quam gratiam quæreret, cujus impetratio forte gradus torturæ augere, & exacerbare ſibi poſſet. Ut taceam, fidem ſervandam eſſe, cuicunque promiſſa fuerit, nec eo caſu venia data, ſed ſors & fortuna quaſi ſuſpenſa *L. 20. C. d. pœn.* & in univerſum ſententiam eorum reprobo, qui fraudes judicis, & excogitas perſuaſiones in expiſcando pro virtutibus venditant, bono enim & ſincero animo judicem incedere oportet.

§. XII.

§. XII.

Sed quid dicemus, ſi is, qui delictum de ſe confeſſus, ad mortem condemnatus, aſſerat Sempronium, ut ſocium conſciumque delicti, ac in iſta aſſertione, conſtanter ad extremum usque vitæ halitum perſeveret? res conclamata eſt inter Doctores, qui uno ore crucifige, clamitant, imprimis ſi religioſa ad mortem compoſitio & inſuper uſus ſacræ euchariſtiæ acceſſerit. Obnubilatis enim ſenſibus venditant, quod moriens præſumatur divini Numinis vitæque imminentis bene memor, &, quo quis propior morti, eo ſincerior animo eſſe, & artem diſſimulandi depoſuiſſe, nec credendum, eum, qui poſt breve temporis intervallum tribunal omniſcii judicis accedere debet, propter ſolam inculpationem inſontis, æternam felicitatem eſſe neglecturum, & quem propitium credat Deum, novo ſcelere ſibi iterum iratum eſſe redditurum, *L. 6. C. ad L. Jul. repet. c. 26. I. qu. 2. 7.* ac cum aliis agonizantium effatis magna autoritas tribuatur, vid. SAM. STRYK. *Diſſert.* quare ejusmodi moribundo, qui ſtimulo conſcientiæ tortus conſcium criminis indixerit, omnis effectus denegandus ſit, non liquere. Urgent *L. 18. §. 1. ff. de judic. L. 95. §. 1. ff. de ſolut.* delicta non debere impunita eſſe, & ne veritas pereat, judici pro utilitate communi a via juris ordinaria recedere permiſſum eſſe *L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ut terreantur alii, nec quisquam temere ad maleficia proſiliat, *L. 14. C. de pœnis.* quibus addunt unum teſtem extraneum probatæ fidei indicium præbere, quidni eum, qui in confinio mortis conſtitutus.

§. XIII.

§. XIII.

Prodiit ſuperiori anno Jenæ *Diſſertatio* quædam *ſub præſidio* Dn.D. NIC. GVIL. DRESSELII *de delinquente convicto licet non confeſſo, pœna ordinaria afficiendo* habita, circa cujus calcem pag. 72. legitur *Reſponſum JCtorum Altorff*, noviſſime *anno 1724.* datum, in quo in cauſa ſacrilegii a judæis commiſſi, ad diverſas quæſtiones quæſiti, hæc reſponderunt. I Quod ſocii criminis damnati ad mortem, ad reliquos præfracte negantes complices, quos denunciaverant, convincendos, ante ſupplicium, in eorundem præſentia, juramento, more judæis recepto, confeſſionem in correos confirmare. II. Quod juramento illo aſſertorio præſtito, indurati ſocii ſive velint, ſive nolint, pro plene convictis haberi. Adeoque III quod vix credibile videtur, morte horum teſtium ſecuta, itidem, remotis ulterioribus ambagibus pœna capitali affici debeant. Rationem decidendi potiſſimum huic fundamento ſuperſtruxerunt, quod inter judæos, qui ſemel rapinis aliisque nefandis criminibus ſe manciparint, nil novi nec inſoliti, quod animum ita indurare ſoleant, ut quævis tormentorum genera negligant. Circa hujus præjudicii lectionem in memoriam revocabatur, quod de Advocato quodam circumfertur, qui judæo clientulo ſuo juramenti delati præſtationem, propterea ſuaſerat, quod vel ſine eo, jamjam ſit mancipium diaboli, adeoque nil interſit, an perjurium aliquod committat.

§. XIV.

Refert Dn. LEYSER. *Medit. ad Pand. ſpecim. CXLIV. n. XI.* caſum ſingularem, ubi contra reum de atrociſſimo delicto rapinæ & vis publicæ ſuſpectum, ob *levitatem indiciorum* primus torturæ gradus decretus fuerat, acceſſerat deinde inculpatio correi conſtans extra torturam, poſt uſu ſacræ cœnæ atque morte admodum devota confirmata, judex igitur priorem ſententiam exſequi dubitaverat, & ex *JCtis Helmſtadienſibus*, annon ob novum hoc indicium gradus torturæ augendus quærebat, qui id affirmare & gradus torturæ duplicare, ac interrogatoria ſequentia: *Ob er nicht Hanſs Martin Witzeln ſein auf ihn gethanes Bekäntniſs zu wiederruffen überreden wollen? was er mit denen von ſeiner ehemahligen Magd angegebenen verdächtigen Perſohnen ſo heimlich und vertraut geſprochen?* nihil profecto ad qualitatem & atrocitatem delicti pertinentia, ſuperaddere non dubitarunt, commoti in rationibus decidendi autoritate DAV. MEVII *Conſ.* 2. *n.* 13. quanquam Dn. LEYSERVS nequeat diſſimulare, per errorem hoc factum, cum revera Mevius diſſentiat, interim error Mevii jus rationemque decidendi primum præbuerat.

§. XV.

Memini aliquando ſententiis, in quibus pœna capitis irrogata, adjectam fuiſſe clauſulam, quod biduo vel triduo ante executionem, damnato ad mortem confeſſio & inculpatio ſociorum prælegi, & ipſe

ſub

ſub comminatione ſalutis æternæ interrogari debeat, an adhuc nominationi antea a ſe factæ inſiſtat, & an in animam ſuam & conſcientiam recipiat, accuſationem conſcii, veritati inniti, ſequentem in modum: *Jedoch iſt zwey oder drey Tage vor Vollſtreckung des Urthels ihme ſeine Ausſage, ſo viel die* Inculpation *derer von ihme angegebenen Diebes und Räuber Geſellen anlanget, nochmahls vorzuhalten, er, ob er ſelbige ſo wahr er bey ſeinen vorſtehenden Tode ſeelig zu werden gedencke, behaupten könne, zu befragen, und deſſen Erklährung hierauf zu denen Acten zu bringen.*

§. XVI.

Quanquam vero ſpecioſa illa videntur, tamen a ſemel agnito veritatis tramite avocare nos non valent, potius cum DYON. GODOFRED. *ad L. 3. §. 1. ad SCt. Silan.* aſſerimus rei depoſitionem tempore ſupplicii neminem gravare, nec alteri præjudicium facere poſſe, nam non omnis moriens St. Evangeliſta Johannes, multominus ejusmodi perſona infamis tot flagitiis contaminata, quæ Deum & religionem plane ignorat, & ſæpius ſimulata aut coacta pietate ad locum ſupplicii rapitur, cujus ſenſus morte indicta turbati, & qui quemadmodum in *Nov. XIIX. c. 6.* dicitur præ tumultu mortis anguſtiatus, uſum rationis deponit, ita ut vix credendum ex animi ſententia proceſſiſſe

- - *ſi forte furenti*
Erravit in morte dolor ſi lingua locuta eſt,

 Neſcio

Neſcio quid titubante animo, non ſponte ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui.

& naturali quodam deploratæ mentis affectu morientibus gratiſſimum eſt commori SENECA *Controv. 29. Libr. IV.* Inde Dd. colligere ſolent, moribundum non eſſe examinandum teſtis loco, GOTHOFRED. *ad L. 8. C. qui teſt. fac. poſſunt. lit. d.* Sane VLPIANO, ſi unquam laudem meretur, ea tribuenda ob *L. 3. §. 1. ad Sct. Silan.* quæ hujus tenoris, ſi quis moribundus dixiſſet, vim mortis allatam ſibi eſſe, non credendum eſſe, niſi & potuerit probari. Poſſet enim quis inimicitia aut alio depravato affectu commotus, vel errore circa perſonam orto, innocentem denunciare, ut taceam plurima extare exempla eorum, qui in ultimo mortis momento inter ſigna iræ, odii & inimicitiæ capitalis, vel etiam impœnitentes, ſpretis ſalutis æternæ mediis, miſeram animam efflarunt, quod ante paucos abhinc annos, Lipſia noſtra de ſcelerato quodam rotæ impoſito ſacrilego triſtis adhuc recordatur, hi ſane deſperati etiam alios ſecum in exitium pertrahere & adſciſcere comites poſſent.

§. XVII

Refragatur expreſſis verbis *Ord. crim.* quæ *art. 20.* prohibet, ne quis tormentis ſubjiciatur absque indiciis legitimis probatis, & notatu digna ſunt verba: *Wo nicht zuvor redliche Anzeigung der Miſſethat, darnach man fragen wolte, verhanden und* NB. *beweiſſt würden.* Alias ſi iis deficientibus quis ad torturam raptus

raptus quid confeſſus fuerit, non nocivam futuram confeſſionem, nec ob id ſententiam contra confitentem ferendam eſſe. Duo nempe requiruntur, primum legitima indicia, deinde ut etiam probentur, quis vero nudam ſocii aut ſociorum inculpationem pro legitimo indicio aut probationis inſtar habebit. Clarior eſt *art. 23.* quo indicium ad torturam gravans, duobus teſtibus idoneis ut probetur, prærequiritur, per verba: *Eine iede gnungſahme Anzeigung, darauf man peinlich fragen mag, ſoll mit zwey guten Zeugen bewieſen werden.* Pro quibus, unum duosve delinquentes reputare iniquiſſimum foret; dumque *art. 25.* quædam indicia omnibus delictis communia exponuntur, primo loco qualitas & fama accuſatoris explicatur. *Doch ſoll ſolcher böſer Leumuth nicht von Feinden oder leichtfertigen Leuten, ſondern unpartheyiſchen redlichen Leuten kommen*, quis unquam maleficos in numero fide dignorum collocabit, quos Imperator potius prorſus removeri voluit. Nec aliter ad torturam deſcendendum, quam cum legitima, & quidem ad probationem indubitata ac clariora indicia adſint, *L. 25. C. de accuſat.* aut penitus convictus ſit inculpatus, ut nil præter ipſius confeſſionem deeſſe videatur, *L. 1. §. 1. & 4. ff. de quæſtion. L. 8. §. 1. C. eod.* ſane ſi juxta *L. 6. C. de probat.* nemo moriens alterum in numerum debitorum renunciare poteſt ſua ſignificatione, ſi nuda teſtatoris confeſſio non præjudicat veritati *L. 28. pr. ff. ad SCt. Vellej.* moribundi maleferiati hominis aſſertio veritatis indicium eſſe nequit.

§. XVIII.

Sed annon ad minimum ita inculpatus carnifici ad territionem verbalem ſiſtendus? Neutiquam; pertinet & hoc cum ter centum aliis riſu dignis modis, ad corruptelas & nondum ſatis cognitos errores jurisprudentiæ criminalis. Aut enim ſemel malus vitiis imbutus, quique fortaſſe aliquoties jam manibus carnificis ſubjectus fuit reus, aut alias honeſtæ & integræ famæ licet vilioris conditionis, priori caſu, neglectis præparatoriis actibus & inanibus verborum ambagibus, quæ panicum terrorem ipſi non incutiunt, gradum torturæ & an inſtrumenta applicentur, expectabit, & ſi judex cum Dn. Aſſeſſoribus carnifexque minis ſuis nil quicquam efficere potuerunt, actus ille deriſorius erit, poſteriori caſu anſa præbetur inculpato, ut macula quadam notatus cum opificio prius vitæ genus deſerat, novumque & id quidem nocivum eligat. Ac re inſpecta autoritati judiciali non leve infertur præjudicium, quod minando torturam mendacium, vel ſi reverenter loqui velis, falſiloquium admiſit.

§. XIX.

Ergo ſaltim purgatorium inculpatis hac ratione injungendum erit? ita unanimiter propemodum antiquiores & recentiores JCti ſtatuunt, & quo colorem inducant opinioni ſuæ, prætendunt, membra ſervari ſalva, nec cruciatus infligi, innocentem reum ſalva conſcientia jurare poſſe, adeoque nullum ex jurejurando

rejurando ſentire damnum, ſi vero delictum admiſerit & juramentum præſtare recuſet, gloriam Dei una cum ſecuritate publica promoveri, delicta enim non manere impunita. Hinc Scab. Lipſ. M. Nov. 1668. verſus Noſtitz in puncto ſtupri violenti, ob ſolam moribundi, coram parocho factam inculpationem purgatorio onerarunt, quod & à Facult. Lipſ. M. Nov. 1726. factum memini verſus *Gnandſtein* in crimine robbariæ & violentæ invaſionis. Et invaluit in Collegiis JCtorum depravatus ille mos per traducem ac more imo potius errore majorum derivatus, quod dicant: *Darüber ſind wir weg*, nullam rationem voti ſui deciſivi reddentes, quam quod obſervantiæ, ſæpiusque ita pronunciatum ſit.

§. XX.

Sed ſumma hac in parte circumſpectione opus eſt, juramenti delatio in criminalibus, præſertim ubi pœna capitis vel corporis afflictiva metuenda eſt, res plena aleæ. Mortales extremis his temporibus ea cœcitate laborant, ut in rebus pecuniariis perjuria committere non dubitent, multitudo enim & abuſus perjuriorum præmit terras, hinc facile credendum, ejusmodi hominem præſertim ſi vilis conditionis, fundamentis religionis non imbutus, aut nefandis facinoribus aſſuetus, qui omnem timorem Numinis, exiſtimationem, et verecundiam dimiſit, contradicente licet conſcientia, ad ſervandam vitam membra & famam, animam eſſe neglecturum, aut dulci ſolatio ſibi blanditurum immenſam eſſe miſericor-

ſericordiam Dei. Hoc modo animas ad orcum transmittimus. Honeſtas vero perſonas & innocentes juramento onerare, contrariatur charitati chriſtianæ, & quæſo qua ratione incedendum foret, ſi res nobis eſſet cum Menonitis, qui nullum unquam nec præſtant, nec ex religione ſua præſtare poſſunt juramentum. Et unde poteſtas illa judicum in animas & conſcientiam civium, qua ſub prætextu divinæ gloriæ, & publici boni, utque delicta præprimis occulta velut adulterium pateſiant, a quolibet exigi poſſe juramentum purgatorium, confidunt. Homo videt & judex punit ea tantum quæ ante oculos poſita, nec major fides a quoquam judicum deſideratur ea, quam adminiſtratores in rebus ſibi concreditis pro noſſe & poſſe adhibent.

§. XXI.

Urgent diſſentientes potiſſimum *art. 31. Ord. Crim.* in quo validiſſimum opinionis ſuæ præſidium ſe inveniſſe putant. Sed tantum abeſt, ut textus ille aliquid roboris ipſis tribuat, ut potius illis contrarietur, noluit enim Imperator ſolam compellationem indicium aliquod præbere, ſignificanter enim animum ſuum declarat: *So ein überwundener Miſſethäter in ſeiner Miſſethat Helffer gehabt, iemanden im Gefängniſſe beſagt, der ihm zu ſeinen geübten empfundenen Miſſethaten geholffen habe, iſt auch eine Argwöhnigkeit wider den beſagten*, ubi probe diſtinguit Imperator indicium à ſola ſuſpicione, prius negavit adeſſe, in antecedentibus enim articulis abunde indicavit, quid intelle-

tellectum velit per legitimum indicium *durch redliche Anzeige*, ſed ſaltem aliquam ſuſpicionem excitare, ut nempe judex impellatur ulteriora explorandi, hinc certa adjicit requiſita, quæ obſervanda ipſi ſunto, quæ demum conjunctim ſumta indicium præbento. Clarius pateſcit intentio Imperatoris *art. 25.* ubi ita diſponit: *Von argwöhnigen Theilen mit anhangender Erklährung, wie und wann die eine redliche Anzeigung machen mögen.* Ubi claris verbis indicium opponit ſuſpicioni, quæ probe invicem ſecernenda, quod a Dd. utplurimum neglectum deprehendimus. Neque in *d. art. 31.* nec ullibi diſpoſitum, quod ſpecialis inquiſitio adverſus inculpatum aut incarceratio, multominus tortura locum invenire debeat.

§. XXII.

Agnoverunt quandoque collegia JCtorum, aliter cum hominibus eſſe agendum, nec ponderis quicquam, aut præſumtionem veritatis inculpationi a complice delicti factæ, quamvis morte confirmatæ ineſſe. Hinc Scabini Lipſ. menſe Mart. 1634. Zwikaviam *an dem Rath daſelbſt* expreſſe prohibitoriam dederunt ſententiam, ne ſocius criminis propter inculpationem a ducto ad mortem factam, graviori pœna afficeretur, *und mag dannenhero* N. *daſs der gerechtfertigte Michael Jahn, auf ſeiner* inculpation *biſs an ſein Ende verharret, mit härterer Strafe nicht beleget vverden.* Iidem *M. Aug. 1639.* ad præturam Zwicavienſem, ob ſolam delationem ad mortem traditi, incarceratum ſimpliciter abſolverunt, quorum rationes decidendi ut ali-

quando aliis inſervire queant merito communicandæ *D. a. d.* inquiſit *an dieſem allen nichts geſtändig, und die bloſse* inculpation *des* decollirten *kein gnugſahm* indicium *giebt, ſo mag in Mangelung anderer kräfftiger Anzeige, vvider* Inquiſiten *ferner nichts vorgenommen vverden, ſondern es vvird derſelbe gegen Leiſtung des gevvöhnlichen Urpheden der gefänglichen Hafft billig erlaſſen.* Pariter JCti Helmſtadienſes referente Dn. LEYSERO *Medit. ad ff. Specim. CXLIV. n. 6.* inculpationem læſi moribundi nullis aliis argumentis firmatam, ne quidem tanti reputarunt, ut inculpatum in vincula detruderent. Exhibet etiam Dn. WERNHER. *P. II. En. 38.* noviſſimum præjudicium ordinis ſui, qui delatum, cui reſponſio ad articulos inquiſitionales & poſt purgatorium præpoſtere injunctum, imo in anteceſſum pœna arbitraria irrogata, plene abſolvendum eſſe exiſtimavit. Conſentit JUST. OLDEKOP. *Tit. IV. obſ. Crim. 35.* ac in ſubſequenti *obſ. 36.* cautelam ſuppeditat, ne inculpatus dicat, excipio contra te, quia es ſocius criminis, ita enim videtur delictum fateri, ſed excipio contra te, quod non poſſis contra me deponere, quia delictum commiſiſti, vel quia te tua confeſſione facis ſocium criminis. Ad extremum memores ſint judices moniti Papiniani in *L. 40. ff. de Judic.* non quicquid judicis poteſtati permittitur, id ſubjicitur juris neceſſitati *j. L. 1. C. quom. & quando judex* & Pontifex alloquitur judicem *C. 5. X. de reſcript.* patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava fuerit intimatione ſuggeſtum.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sed quid ſi alia eaque violenta indicia concurrant, e. c. quod reus tempore rixæ denudato gladio a teſtibus deprehenſus fuerit, fortaſſe in fuga correptus, aut confeſſio inquiſiti fuerit qualificata, quam captat CARPZOV. *Pr. Crim. quæſt. CXXXI. n. 20.* annon tunc, ſi inculpatio læſi morte confirmata fulciatur, majoris ponderis erit? Reſpondetur indicia priora, & ſi denunciatio a vulnerato, qui forte ipſo momento illati vulneris occubuit, nulla facta fuiſſet, cauſam præbere poſſent rigidiori eruendæ veritatis remedio, illud ſaltem negamus, judicem inter rationes quare inculpatum ad quæſtiones det, primo loco effatum occiſi conſtituere debere, quod a JCtis Helmſtadienſibus factum tradit Dn. LEYSER. *Medit. ad Pand. ſpec. CXLIV. n. 7. ſq. Denn anfänglich hat der Ermordete ſelbſt ſo wohl gleich nach der Schlägerey, da er nach der Stadt geführet worden, als auch auf ſeinem Todt-Bette den Thäter alſo beſchrieben, daß der Verdacht auf unſern Inquiſiten fallen muß,* ita ut inculpato ſequentem in modum torturam irrogaverint: *Daß er dem Scharffrichter zu untergeben, der ihm Daum- und Bein-Schrauben anlege, und zuſchraube, und ob er die Warheit bekennen wolle, befrage, auch auf ferneres Verweigern abkleide, zur Leiter führe, an Schnüren aufziehe, und, iedoch menſchlicher Weiſe, torquire, mithin die Wahrheit zu bekennen ermahne,* quo in caſu hæ aderant circumſtantiæ, 1) ſauciatus puer, 2) ſtatim ab initio veſtem habitumque corporis ita deſcripſerat, ut deſcriptio iſta in Du-

terſtadium, cujus tamen nomen non noverat, accuratiſſime caderet, poſt 3) iterum interrogatus, alium Heinebergium nominaverat, tandem 4) morti vicinus hunc excuſarat, prioremque deſcriptionem repetierat atque ſic expiraverat. Duterſtadium tormentis acerbiſſimis excruciaverant; Hennebergium licet vel maxime rixis tum temporis interfuerat, fuſtibusque ambulaverat inſtructus, ob ſolam exculpationem læſi referente Dn. LEYSERO *n. X.* paucarum ſeptimarum carcere, *mit drey wöchentlichen Gefängniſse oder um 21. Thlr.* mulctaverant, quo caſu duo extrema admiſſa fuiſſe perſuaſi ſumus.

§. XXIV.

Luſtrabimus ſpecies quasdam delictorum, quæ argumento inſervire poterunt, qua ratione in reliquis criminibus procedi debeat. Magiæ crimen cujus doctrinam multi publicis ſcriptis deriſoriam reddere intenderunt, uti abominandum ita ſi regulæ ſanæ rationis & prudentiæ adhibentur, promerita pœna pro ratione circumſtantiarum coercendum, ſed quis exinde quod veneficæ confeſſæ fuerint, ſe hunc vel illum in conventu, in monte Bructero, vel hirco inſidentem, vel ſaltantem vidiſſe, adeo ſuperſtitioſus foret, ut vel minimam fidem ei haberet JOH. BRVNNEMANN. *Proc. Inquiſit. cap. VII. n. 65.* Inde NICOL. BRAND. *de legitima malefic. & ſagas inveſtig. & convinc. ration. P. I. th. 1. n. 28.* ne inquiſitioni quidem locum relinquit. Quadrat huc reſponſum Dn. Scabin. Lipſ. M. Febr. 1657. Stolbergam ad Præfectum

fectum Joh. Georg. Rupperti datum, quanquam enim hi *Magdalenam Burckhardin*, quæ in loco torturæ confeſſa fuerat, ſe pactum cum Diabolo iniiſſe, erectis digitis Deum angelosque abjuraſſe, dein cum dæmone concubuiſſe, & ab eo per plures annos ſingulis ſeptimanis certam quantitatem pecuniæ accepiſſe, rogo imponendam eſſe pronunciaſſent, attamen nominatas ab ipſa perſonas, ſpeciali inquiſitione aut confrontatione onerare dubitarunt. *So viel die von der* Inquiſitin *anderweit* nomini*rten und angegebenen Perſonen anlanget, ſo mag noch zur Zeit wider dieſelben in mangelung anderer* concurri*renden* Indici*en* ſpecialis inquiſitio, *oder auch* confrontatio *mit der gefangenen nicht vorgenommen werden.* In qua ſententia illud notatu dignum animadvertere licuit, quod Dn. Scabini religioni ſibi duxerint, judici licentiam occupandi nummos illos resque mobiles a malo dæmone ſagæ donatas, tribuere. Eundem in modum iidem Menſ. April. 1701. ad Senatum Salfeldenſem inculpationem ab obſeſſo factam, confrontatione licet inſtituta, inquiſitionem ſpecialem non fundare exiſtimarunt. JCti Hallenſes, procul dubio juſto permoti dolore, hoc modo pronunciarunt: *Daſs in Ermangelung genungſamen Verdachts und Anzeige, wider Eliſabeth Köblin ferner nichts vorzunehmen, ſondern ſie auch ohne* Caution *und Erſtattung einiger Unkoſten der gefänglichen Hafft hinwieder zu erlaſſen, und von der angeſtellten* Inquiſition *zu entbinden, es iſt auch wieder* C. S. *und* M. M. *derer Dinge wegen, weſshalben die Köblin vernommen worden, nichts* præjudici*rliches zu verhängen,*

hängen, ſondern es werden dieſelben insgeſambt bey ihrem guten Leumund wider alle Verleumbdungen und unzulänglichen ſuſpiciones, *billig geſchützet*, quam ſententiam, hujusque rationes decidendi expoſuit DN. THOMASIVS *in ernſthafften und vermiſchten Gedancken von Juriſtiſchen Händeln, P. II. cap. X. §. 17. p. 333.* qui *Part. I. cap. XIIX. §. 7. p. 202.* lectu jucundiſſimam tradit hiſtoriam, ubi clericus, qui nominationem ſagæ pro legitimo indicio venditaverat, ad abſurda & ſilentium deductus.

§. XXV.

Rapina, deprædationes & furtum plerumque a pluribus coadunatis hominibus, remotis teſtibus committuntur, hinc non omnino negligendæ ſunt nominationes Sociorum criminis, ſed anſam judici præbere poſſunt, in mores & vitam anteactam nominatorum generaliter inquirendi, ſola enim inculpatio neque hic legitimum ſuggerit indicium. Notabiles caſus non ita pridem M. Mart. a. c. Facultati Juridicæ Lipſienſi oblati fuerunt: Nocturno nempe tempore ædes paſtoris cujusdam vi introitæ & violentæ deprædationes à compluribus factæ fuerant, contra quosdam ex iis legitima ad torturam in eos ſtatuendam aderant indicia, hi vi metuve tormentorum autores ſe confitebantur, inſimul varios delicti participes & vicinos ſuos, adjectis quibusdam circumſtantiis complices nominabant, qui ſtatim vinculis mancipabantur, ſpecialisque inquiſitio adverſus eos formabatur. Confeſſis mortis pœna dictabatur, quam & ſuſtinuerunt, hi

hi usque ad extremum, interrogati a judice ſub comminatione amittendæ ſalutis, ex præſcripto JCtorum in aſſertione ſua, nominatos a ſe complices fuiſſe, permanſerunt, adjecto voto, ut divinum Numen eandem ipſis ſeria pœnitentia & agnitione peccatorum prævia, largiretur miſericordiam, quam ſe conſecutos fuiſſe gauderent. Miſeri hi nominati ultra annale ſpatium vinculis conſtricti, adeo innocentes ſe probabant, ut per juratas uxorum, aliorumque conjunctorum depoſitiones certiorem redderent judicem, quod nocturno tempore, ac ſpeciatim iisdem horis, quibus violentia & rapinæ ſuſceptæ fuerant, domi ſuæ, & vel in lecto quieſcentes, vel conductas operas abſolventes fuerint conſtituti; binos horum pure abſolvere non dubitavit Facultas Jurid. Lipſ., & apparuit ex Actis transmiſſis, tertium inculpatum, antea ſimiliter abſolutum fuiſſe a Dn. Scabin. Lipſienſ.

§. XXIV.

Succurrit alius caſus in Facult. Jurid. Lipſ. ſuperiori menſe Martio obſervatus. Nempe peſſimi furvuris perſona, furtis ſacrilegiisque adſueta, correpta & de variis criminibus convicta atque confeſſa, allegaverat judæum quendam, cum conjuge liberisque ejus, quorum conſilio furta ſe commiſiſſe, & res furto ſubtractas ipſis vendendas attuliſſe, quas & ſcientes ab ipſo emerint, referebat. Judex alios judæos, ejuſdem quem denunciaverat judæi & uxoris veſtibus indutos, ſiſtebat inquiſito, ad inſtituendam confrontationem. Intrepide inquiſitus ſubſtitutos hos judæos con-

conſpiciens, affirmabat, hos ipſos eſſe, quos antea judici indixiſſet, quosque probe adhuc noſceret, donec de mendacio convictus, confiteri cogeretur, ſubornatum ſe fuiſſe ab impia matre ſua, quæ ipſum ad fictitiam hanc nominationem induxiſſet. Horrendum caſum refert VOLCKMANN. *in Tr. Crim. Tit. IX. de Tortur. c. 47. n. 12. p. 175.* de ſutore qui ex inculpatione malefici, ad mortem condemnatus, vix providentia divina violentis manibus in actu executionis ereptus. Videant igitur illi, qui torturam irrogandam, & quod crudelius adhuc, vita privandum eſſe exiſtimant ita denunciatum, quid reſpondeant his caſibus non nobis excogitatis, ſed nuperrime oblatis, & perpendant malitiam hominum extremum prope gradum impietatis attigiſſe, inſuper latere aſtutiam Satanæ, infeliciſſimi generis humani hoſtis, eumque permittente quandoque Deo, occœcare oculos mortalium, horumque vitæ & ſaluti indefeſſo ſtudio inſidiari.

§. XXVII.

Adulterium & ſtuprum crimina ſunt occulta & tranſeuntia, nec de corpore delicti facile aliunde poteſt conſtare, quam ex utriusque partis confeſſione, quid ſi igitur imprægnata nominet virum maritatum, aut alium ſolutum, annon aliquam ſuſpicionis cauſam adverſus eundem præbebit? Prona ſunt parataque collegia ad purgatorii juramenti delationem, quod Ordini Vitebergenſ. Superioribus temporibus placuiſſe teſtatur DN. WERNHER. *Select. Obſ.*

P. V.

P. V. obſ. 117. quam eorum opinionem hæc decidendi ratio commendabat, quod talis fœmina cum ſcire & prævidere poſſit fuſtigationis pœnam eidem imminere, non præſumatur falſo maritum de adulterio ſecum commiſſo accuſare, inprimis ſi fœmina in ipſis partus doloribus conſtituta, patrem partus ex damnato concubitu concepti nominet hinc fictione juris eundem ſtatim pro patre, fœminam enim in periculo vitæ & ſummis cruciatibus conſtitutam mentiri non poſſe perſuaſum habent, inde ſtatim absque ulla hæſitatione, ſententiam, inquiſitionem, & eandem excipiens purgatorium definientem, ferunt, & commiſſa ſunt mille juramenta, totidemque procul dubio perjuria, imo erronea iſta ſententia in hunc usque diem cœtus JCtorum nondum liberati, adeo ut ſuperiori adhuc anno, cum fœmina ob commiſſum infanticidium, in foro publico gladio percuſſa morte confirmaret, perſonam affinitate ſibi junctam patrem partus inceſtuoſi ſui eſſe, ſtatim iſta ſanguine quaſi obſignata aſſertio juſta cauſa incarcerationis habebatur, quæque effectum purgatorii producebat. Quoque exiſtentibus ejuſmodi caſibus eo majori terrore perfundant inculpatos, unus pluresve clerici adhibentur, in cauſis ſiquidem civilibus licet arduis, tanta cura animarum neutiquam opus, amat enim victoria perjurii teſtes, & toties evenit, inter tormenta judices ipſos adulterii inculpatos fuiſſe, & ſi accuſaſſe & nominaſſe ſufficeret, quis demum

 inno-

innocens foret. Nullam itaque obtineat autoritatem periclitantium furor, qui ſi latius evagetur, ne ipſe quidem cognitor tutus erit, aut quæſtionem ſecurus agitabit *L. 12. C. Th. de accuſat. L. 4. C. de quæſt.* Refert. Dn. THOMASIVS *in ernſthafftigen Gedancken über allerhand juriſtiſche Händel P. IV. cap. X.* caſum quo ob ſolam confeſſionem ſtupratæ juramentum purgatorium, clerico præſente præſtandum, a ſcabinatu J. injunctum, a Facultat. vero Jurid. Hallenſi remiſſum, *daß wider Michaeln in Mangelung mehrerer genungſamer* Indicien *ferner nichts vorzunehmen, noch ſelbiger mit dem Reinigungs-Eyde zu beſchweren.* In quam ſententiam ſemel iterumque ab ordine ſuo pronunciatum fuiſſe, laudat Dn. WERNHER. *d. obſ. 117. & P. IV. obſ. ſel. obſ. 148.* Eadem circumſpectione uſi JCti Helmſtadienſes, qui referente Dn. LEYSERO, Ornamento Ordinis ſui *Med. ad Pand. ſpec. XIV. n. 4.* inculpatum a decreta & mota jam inquiſitione, una cum expenſis etiam abſolverunt. Ita ſententiæ urna fortunæ quaſi extrahuntur, conf. LVDOV. de AMENO *de delict. & pœn. Tit. IV. §. 4. Adulterium. n. 17* Et NOB. Dn. de BERGER. *ſupplem. ad Elect. Jurisprud. crim. P. I. obſ. 147.* Sane reprobanda doctrina iſta, quæ in occultis delictis, levia quælibet indicia captat DOM. MORELLI *Manud. ad Prax. crim. cap. 1. §. 10. n. 27.* Denique riſum movet, quod idem habet *cap. 1. §. 10. n. 49.* Figuram pedis terræ humidæ impreſ-

impreſſam, reſpondentem formæ pedis nominatæ perſonæ, grave ſuppeditare indicium. Adeo ſane facili negotio inquiſitioni irretiri quis poſſet.

§. XXVIII.

Non eſt animus cauſas eorum orare, quos damnatæ cupiditates carnis, ad violationem thori, & deteſtandam immunditiem æternis flammis expiandam, rapiunt, procul eſtote profani. Sanam ſaltem & ſobriam Jurisprudent. criminalem deſideramus, quæ ſe referat ad præſcriptum Imperatoris CONSTANTINI in *L. 9. §. 1. C. de teſtib.* qui judices prohibuit, ne unius teſtimonium, multo minus inculpationem in quacunque cauſa admitti patiantur, & jam olim SCAEVOLA *in L. 29. §. 1. ff. de probat.* reſpondit: quod mulier filium enixa abſente marito, ſi ut ſpurium in actis profeſſa eſt, filio tamen non inferat præjudicium. Nec quisquam, qui vincula pœnamque mundanam effugit, a vindicta ſummi Numinis ſe tutum exiſtimet, in hujus enim eſt reſervatis, quod judicare velit adulteros & ſtupratores, & ſequitur eos ut plurimum ignomioſa paupertas. De cætero evenire poteſt, ut rea adulterium profeſſa, pœna promerita e. c. fuſtigationis aut relegationis afficiatur, is vero, quem adulterum aut ſcortatorem aſſeruit, pure abſolvatur, quod nuperrime factum a Fac. Jurid. Lipſ. M. Jan. 1727. ad prætorem Laubanenſem. *Hat Anna Roſina Seydelin ein Eheweib, als ſie Summariſch und Articuls-Weiſe vernommen worden, in Güte geſtanden und bekant, daſs ſie mit Hanſs Chri-*

ſtoph Mentzeln einem Ehemanne Ober-Hurerey und Ehebruch getrieben, iedoch auch ihr Ehemann Hanſs George Seydel ſich ihrer angenommen, und gebrochener Treue ungeachtet, ihr ferner beyzuwohnen ſich erklähret: So wird dieſelbe auf ewig des Landes verwieſen, daraus deren Ehemann ihr mit weſentlicher Wohnung zu folgen, ſie auch die dieſsfalſs verurſachten Unkoſten abzuſtatten ſchuldig, hingegen mag noch zur Zeit in Ermangelung mehrern Verdachts, wider Mentzeln weiter nichts vorgenommen werden, iedoch iſt derſelde die Unkoſten, ſo er verurſachet, zu entrichten pflichtig. Quam ſententiam actis M. Mart. iterum transmiſſis, denuo confirmavit, licet alterius confeſſionem, adeoque corporis delicti veritatem deficere, defenſionis loco adduceret, de certitudine enim corporis delicti in adulterio tunc demum, ſi capitalis poena irroganda, ſolliciti eſſe ſolemus.

§. XXIX.

Mos invaluit in collegiis Prudentum, ut in præſcribendis interrogatoriis, nonnulla generalia eo dirigant, ut ex inquiſito quærant, quinam ſocii criminis fuerint, & manus auxiliatrices præſtiterint, quæ eorum nomina fuerint, quinam receptatores. *Ob er nicht zu einer gewiſſen Diebes- und Räuber-Rotte gehöre? Wer ſeine Diebs-Cammeraden ſeyn? wie ſie heiſſen?* quod quidem non plane improbandum *L. 6. ff. de cuſtod. & exhib. reor.* & in *Ord. Crim. art. 31.* directis verbis permittitur iis uti. Nec in partes CARPZOVII *Qu. CXXI. n. 23.* tranſimus, quod tunc demum

mum liceat, ſi juſtam & rationabilem præſumtionem, complices delicti reum adſciviſſe, ſubeſſe arbitretur. Nam e.c. in furto, deprædationibus, perpetuo talis ſuſpicio naſcitur, nec pro ſuggeſtione nociva habendum, quando ex deficienti præſumtione in generalioribus ſubſiſtit, nec in ſpecie individuum aliquod nominat, prout nuperrime reſpondit Fac. Jurid. Lipſ. M. Mart. a. c. verſus St., alias interrogatoria ſuggeſtiva, ſive aperta ſive palliata ſit ſuggeſtio, prohibita. vid. JOH. BAPTIST. VULPIN. *Succ. Oper. Crim. Farinac. expr. Part. IX. ex quæſt. 83. cap. 4.* At finis is non intenditur, quem plurimi quidem ſibi imaginantur, ut contra nominatum individuum, legitimum habeatur indicium ex illa confeſſione, & locus ſit ſpeciali inquiſitioni, ſed ſaltem, uti toties monui, ut tantum via ſternatur in cœptæ inquiſitioni, eo feliciori cum ſucceſſu progrediendi, fortiora indicia explorandi, & veritatem exiſtentiamque facti eruendi.

§. XXX.

Ergone otioſa & inutilis prorſus nominatio à delinquente facta, quæque à judice plane negligatur? Neutiquam, negamus ſaltem efficere legitimum indicium, interim pandit viam ad conquirenda illa indicia, non quieſcere debet officicium prudentis & conſcientioſi magiſtratus, potius ſtatim neceſſitas ipſi imponitur, in vitam & mores denunciati ſollicite inquirendi, quæ ad ipſum convincendum, vel minimum conferre poterunt,

 ut,

ut, quantum in ipſo ſitum, delicta non maneant impunita, & ſecuritas reipublicæ promoveatur. Sed monendos tantum ducimus judices, ne ex ſola compellatione legitimum eliciant gravamen, incarcerandi ', inquiſititionem ſpecialiorem formandi, atque juramentum purgatorium deferendi licentiam, quod proh dolor ſæpius factum meminimus, ſibi arrogent; imprimis moderanda ipſis facilitas injungendorum purgatoriorum, ne perjuria inde enaſcantur, & corpora injuſtis quidem vinculis ſubtrahantur, eorum vero vice æternis catenis conſtringantur. Suadet equidem DN. HORN. *in Tr. de ſemel malo ſemper malo, cap. III. §. 21.* judici inquiſituro, ut emergente caſu, collegia prudentum in conſilium vocet, ad quorum ſententiam ſi fuerit formata inquiſitio, eundem omni culpa immunem pronunciat. Sed quanquam commune quaſi refugium in hoc quærant, quibus criminalis concredita jurisdictio, qui inſtar Pilati hac ratione manus in ſumma innocentia lavaſſe ſe exiſtimant, nihilominus dubitamus, an plenam tribuat ſecuritatem judici, ſi ad hoc vel illud collegium prudentum, tanquam ad ſacram anchoram velit confugere, certe litis denunciatio in extremo judicii die locum ſibi haud vindicabit, diſſimulari enim nequit, variare ſæpius etiam motum collegiorum, quæ quandoque levi penicillo adumbrant ſententias in decernendis inquiſitionibus, ut methodice homines pereant, aut injuria famæ & exiſtimationi reorum inferatur.

TANTVM.

CLARISSIMO

DN. JOHANNI PAVLO ROCKENTHIEN

S. P. D.

PRAESES.

P*Aternos honores invidere filiis non oportet* a) *hique ſi patres vel fiſci patronatum, vel demandatum officium depoſuerint, vel deceſſerint, extraneis ad idem officium accedentibus, anteponi merentur, præſertim ſi ſolito tempore legum doctrinam meruerint;* b) *cum pro filio optima militet præſumtio, eum patri ſimilem futurum. Quare Tibi Honoratiſſime* ROCKENTHIEN *animitus gratulor, quod divina ſapientia talem Tibi genitorem aſſignaverit, qui diuturnitate temporis, & inſi-*

inſinitate laborum, ſummum iſtum honorem & claram dignitatem, qua operatur dirimendis litibus, ſibi acquiſivit. Duplici igitur honore dignum ſe reddidit, nempe magiſtratus munere, & venerabili ſenectute, quibus majores eandem pene dignitatem tribuendam eſſe cenſuerunt. c) *Sane* PATER TVVS HONORATISSIMVS, *pro Te Tuoque commodo optimum coepit conſilium, ut in Te habeat filium ſui ſimilem, qui in locum ſuum ſurrogari, & ut ex prole ſua ſibi memoriam in ævum & ſequentia tempora relinquere poſſit* d). *Nec ſpe ſua fruſtratum ſe ſentiet, ſiquidem per ſtatuta tempora legum eruditioni inhæſiſti,* e) *tantaque peritia juris Te inſtructum confidimus, ut expectationem Parentis Optimi adimplere valeas. Gaude igitur Divino auſpicio ſucceſſu rerum feliciſſimo, ad quem Te ducit votum, Tui, Parentisque Venerandi deditiſſimi Præſidis. Dab. e Muſ. D. 26. April. A. R. S. MD CC XXVII.*

(a) L. 11. C. de dignit. b) L. 3. §. 5. de Adv. diverſ. Jud. c) L. 5. pr. ff. de Jure immunit. d) L. 220. §. 3. ff. de V. S. e) L. 3. §. 4. 4 de Adv. diverſ. Jur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE